





DISPUTATIO CHEIRURGICA
DE
ULCERIBUS,

*Solemnis exercitij gratia in alma Argen-
toratensium Universitate*

proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE AC PRO-
FESSORE, COMITE PALATINO
Cæsareo, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

DANIELE ESPICHIO,
ARGENTORATENSI,



Die 18. Januarij.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
M. DC. XLVII.

DISPUTATIO CHEMICA

DE

ULCERIBUS

Solenni oratione in aula
universitatis Lipsiensis

proposita

et

MELCHIORE SERIZIO

MEDICINAE DOCTORE AC PRO

FESSORE, COMITE PALATINO

Caesari & Reipubl. Archicamerario

Respondente

DANIELE ESPICCHIO

ARGENTORATENSIS



1712

ARGENTORATI

Typis Haerhardi Weiserii

M. DC. XLV.





THESIS I.



Vlceris vocabulum ex illorum numero est, quae variam & multiplicem significationem habent. Ideoque sua in significata resolvendum, ut sciatur, de quo impraesentiarum nobis sit sermo.

II. *Invenimus autem apud artis nostrae proceres significationes quinque.*

III. *Prima est generalissima, qua pro omni morbo accipitur. Extat haec significatio apud Hippocratem l. de fract. eamque Galenus, quia absurda esse videtur, Comm. 3. l. de fract. §. 34. & l. de ineq. intemper. c. 6. explicare conatur.*

IV. *Secunda specialior est, qua omnem solum continui solutionem sonat, in quacunq; etiam parte, sive molli, sive dura, consistat. Legitur apud eundem Hippocratem l. de Vlcer. & Vulner. capitis, ubi ulcus nunc pro ulcere proprie dicto, nunc pro vulnere, nunc pro fractura, nunc pro contusione usurpatur: nondum reliquarum continui solutionum nominibus usu receptis.*

V. *Tertia adhuc est strictior. Denotat enim ulceris vocabulum non omnem in universum continui solutionem, sed eam duntaxat in specie, qua partibus mollibus & carnosiss accidit, & quacunq; tandem causa traxerit originem, sive vulnus sit, sive ulcus specialiter sumptum. Reperitur apud Galenum l. 3. & 4. meth. med. ubi haec nomina saepe inter se confunduntur.*

VI. *Quarta angustior est tertia, quoniam ulcus interdum eam solummodo continui solutionem in carnosae parte innuit, qua proprie vulnus appellatur: ut ex Hipp. l. de Vlceribus & locis alijis, nec non ex Homeri lib. 8. Iliad. patet, quemadmodum Eustathius monet.*

VII. Quinta & ultima propria est & specialissima, nobisq; hac in συζητήσει proposita, quæ eam continui solutionem indigitat, qua mollibus obtingit partibus à re aliqua erodente, eaque vel externa, vel interna. Habetur apud Galenum l. de constit. art. cap. 6.

VIII. Græci hunc affectum ἔλκεσσι vocant: videturque nomen latinum à græco deductum esse. Quæ causa est, quod nonnulli non ulcus, sed Hælcus dicant, retinendo aspirationem vocis græcæ: quam Etymologici à verbo ἔλκεω, ἢ ἔλκεω, quod est trahere, derivant, quoniam pars ulcerata quasi in partes contrarias atq; oppositas distracta putatur.

IX. Libet autem de externarum tantum partium ulcere nunc verba facere, ejusque, definitionem, subjectum, differentias, causas, signa, tum diagnostica, tum prognostica, & generalem curandi rationem breviter explicare.

X. DEFINITIONEM quod attinet, est VLCVS continui solutio in parte carnosa, à re aliqua erodente facta.

XI. Continui esse solutionem, omnes artis Dictatores concedunt, & id ipsum quoque sensus docet.

XII. Intelligimus autem per partem carnosam non musculosam solum, sed etiam glandulosam, parenchymaticam, & illam, quæ ἀνώμαλος est, ac cuique parti peculiaris. Tot enim carnis genera apud Galenum deprehendimus.

XIII. Per rem erodentem distinguitur ulcus à vulnere, quod à re secante, pungente, rumpente & contundente infligi solet.

XIV. Conveniunt quidem vulnus & ulcus primum in genere, quia utrumq; species est continui solutionis. Deinde in subjecto, quoniam utriusque subjectum pars est mollis, interna pariter atque externa. Differunt autem penes causam efficientem, uti modo dictum. Differunt & in eo, quia in ulcere non solum facta est continui, sive unitatis solutio, sed etiam aliquid de parte ulcerata amissum est, si non caro, saltem cuticula & cutis, ut in simplici planoque exteriorum partium ulcere contingere videmus. In vulnere verò perpetuo quidem continuum soluitur, sed non semper
pars

pars vulnerata minuitur, neq; portio aliqua substantia illius amittitur. Ratio est: quoniam illud fit erodendo. Vbi autem erosio & exesio, ibi & substantia alicujus deperditio. Hoc secundo, pungendo, rumperendo, aut contundendo inferitur.

XV. Sed questio hic oritur, rectene Fernelius, Paræus, & *qstio.* eorum affecta ulcus definiant fœdam impuramque continui solutionem? Respondemus, definitionem latiore esse suo definito. Nam & vulnus talis esse continui solutio potest.

XVI. At replicat Fernelius, vulnus fœdum esse sanguine: ulcus sanie, pure, sorde, ac quavis alia corruptione. Regerimus, etiam vulnus hisce excrementis fœdari posse. Probamus hoc exemplo vulnorum articulus, & sclopetis, tormentis bellicis, alijsque rebus contundentibus partibus alijs impactorum, in quibus sanè fœditas progressu temporis magna, non ob sanguinem modò, verùm etiam ob sanie, pus, sorde, que cernitur. Eadem observatur quoque in vulnibus ab animalibus venenatis icu vel morsu illatis.

XVII. Dices, sic fœdatum vulnus non ampliùs vulnus esse, sed in ulcus transiisse. Respondemus, manere vulnus, quia ab erosione minimè ortum. Largimur quidem, consecutionem quandam fieri morborum: sed quod vulnus in ulcus degeneret, suamq; naturam & formam prorsus exuat, negamus. Alia quippe causa vulnus, alia ulcus generat. Inflammatorium tumorem, v. g. sequitur abscessus, quando materia illius in pus versa est: quoniam abscessus nil est aliud, quàm ejuscemodi tumor, in quo pus est collectum. Abscessum autem ulcus consequitur: quia abscessus tandem ob puris acrimoniam rumpitur, remanetque ulcus cavum. Verùm alia causa inflammationis est, alia abscessus, alia ulceris, quod & hic erodendo introductum. At si dicas, vulnus saniosum, purulentum, aut sordidum in ulcus migrasse, diversas causas ostendere non potes, sed unica vulnus manet, siue secans, siue pungens, siue rumpeus, siue contundens illa fuerit.

XVIII. Et cur quaso sola vulnera sanguine fœdari creduntur, cum eodem etiam fœdari ulcera, tum alia, tum maximè can-

erosa quotidie videamus: & ἀπορροαίαν quoque Hippocrates
aphor. 21. sect. 7. in ulceribus quandoque fieri attestetur?

XIX. Tradit idem Fernelius, & cum eo quidam alij, etiam
hoc vulneris atque ulceris discrimen: quod vulnus extrinsecus ac-
cipiatur: ulcus nonnunquam extrinsecus quoque obtingat: at sa-
pius ex interiori vitio generetur. Proinde concludit, omnem
efficientem vulneris causam esse evidentem & externam: ulceris
plerumque internam.

XX. Rectè Fernelius sentit, quod ulcera ως ἐπὶ τὸ πᾶσι à
causa interna prodire, aliquando tamen & ab exteriori suam ha-
bere originem asseveret. Perperam verò statuere videtur, quod
omne vulnus ab externa solum causa ortum ducat. An non ruptu-
ra species est vulneris? Atqui ruptura sæpe ab interna causa ori-
tur: v. g. à tussi ferina, vociferatione enormi, cohibitione spiritus
valida, distensione partium insigni, difficili laboriosq; partu, mo-
tu corporis violento, maximè qui luctando, saltando, currendo, ge-
stando, trahendo, &c. peragitur. Experimur enim, tussi, vocifera-
tione, & cohibitione spiritus vasa quandoq; pulmonum rumpi: ob
distensionem dilacerari processus peritonæi, & hernias excitari:
ventris nimio parturientium enixu uterum dissolui, & propter
fætus vel magnitudinem, vel pluralitatem, vel genitalium angu-
stiam cervicem uteri, sphincteremque vesicæ, quæ illi contigua, di-
lacerari: deniq; propter facum crassitiam atque duritiam fissuras
quandoq; in intestino recto & ano fieri. Observavimus nos ante
plures annos in puerulo quodam, adhuc in cunis jacente, & pauca-
los solum dies nato, disrupta intestina, aluique excrementa in ca-
vitatem abdominis effusa. Cùm mirum in modum se torfisset, &
noctu atque in terdium fletibus & vagitibus complevisset omnia,
post obitum illius peritum fuit, ut corpusculum aperiretur. Eo aper-
to, inventa fuit pellicula, intus intestino recto, paulò supra anum,
adnata, quæ exitum facum impediabat. Ideoq; facib. & flatibus
auctis, accidit, ut copia eorum delicata intestinulorum substantia
fuerit supra modum distenta, tandemque planè disrupta.

XXI. Pergamus ad Ulceris SVBIECTVM, quod diximus
esse

esse partem mollem, musculosam, glandulosam, parenchymaticam, membranofam, tendinosam, ligamentofam &c. similarem & dissimilarem, internam atque externam. Nam & interiora membra exulcerari posse, in pulmonibus, renibus, intestinis, vesica, utero, interiori penis canali &c. frequenter admodum experimur.

XXII. DIFFERENTIAE ulceris sunt varia & multiplices, velut ex plurimis Galeni scriptis patet: precipue vero ex lib. 3. & 4. meth. med. lib. 1. 2. 4. & 5. de compos. med. κατὰ γένν. Multa quoque ex Hippocratis libro de Ulceribus: Avicennæ l. 4. can. Fen. 4. tract. 3. c. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. Aëtij tetr. 4. serm. 2. c. 10. 11. 15. 17. 33. 36. 37. 40. 48. 49. 53. & 55. Pauli l. 3. c. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 46. 48. & 49. Oribasilij l. 7. synopsis. c. 1. 2. 4. 5. 11. & Plinij l. 26. c. 14. colliguntur: omnes vel à figura, vel à quantitate, vel à forma, vel à parte affecta, vel à situ, vel à duratione, vel à similitudine, quam cum rebus habent externis, vel à more, vel ab affectibus, cum quib. est complicatum, vel ab agris, qui eo laborarunt, vel ab artifice, qui primus illud perite curavit, vel à facilitate & difficultate curandi, vel ab effectis, vel à modo generationis petita.

XXIII. Ratione figuræ ulcera sunt recta, obliqua, rotunda, angularia, retorta, aut hami in modum vnca.

XXIV. Ratione quantitatis longa & brevia, profunda & superficiaria, lata & angusta. Breviter, magna, parva, mediocria.

XXV. Ratione formæ uniformia, sive aqualia, in quibus caro in omnibus affecti loci partibus aqualiter est exesa, & inaequalia, in quib. major carnis portio hæc, minor illic est erosa. Ad hanc differentiam referri possunt etiam ulcera cava & plana, in quib. aut cuticula una cum cute est ablata, aut sola cuticula abrasa, ut in inter trigine videre licet.

XXVI. Ratione partis affectæ interna, v. g. pulmonum, renum, hepatis, ventriculi &c. & externa, utpote capitis, colli, thoracis, abdominis & artuum.

XXVII. Ratione situs antica & postica, summa & ima, dextra

dextra & sinistra. Quodsi musculum obsideant, alia caput ejus, alia ventrem, alia caudam occupant.

XXVIII. Ratione durationis, recentia & vetusta, brevis & longa durationis.

XXIX. Ratione similitudinis, quam habent cum re externa, cancroso, qua cancerum imitantur, turgidus venis in ambitu positus, & carne media in tumorem elevata, & fistulosa, qua talia forsitan ob longam angustamq; cavitatem, qualis in fistulis visitur, dicuntur.

XXX. Ratione ἡθῶς, sive moris, ἐνὶ ἡθῶ, benigna, & maligna, qua κακῶ ἡθῶ, vocantur: cujusmodi inprimis sunt ulcera lue Venerea & elephantiasi laborantium.

XXXI. Ratione affectuum, cum quib. complicantur, composita, quib. opponuntur simplicia, qua cum nullo alio affectu sunt conjuncta. Complicantur autem cum ulceribus morbi, causa & symptomata. Morbi sunt intemperies, simplices & composita, calida, frigida, humida & sicca: tumores item p. n. ut inflammationes, erysipelata, oedemata, scirrho, varices, caro laxa, fungosa & spongiosa: corruptiones osium ulcerib. subjectorum. Hinc exurgunt ulcera dyscrata, phlegmonosa, erysipelatoza, oedematosa, scirrhusa, varicosa, callosa, gangranosa, carne luxurantiā, qua excrescentia à quibusdam nominantur. Causæ sunt acres mordacesque humores, qui vel in parte ulcerata sunt congesti, vel aliunde ad illam ablegati: quorum nomine ulcera vocantur κακῶ ἡθῶ & κατὰ πρὸς, fluxione vexata. Symptomata sunt pruritus, dolor, color, & quæ ex illis emanant, excrementa. Vnde pruriginosa, dolorosa, livida, nigra, rubra, saniosa, purulenta, sordida, virulenta, & si putredo adsit, ac ex illa vermes sint enati, putrida verminosaque nuncupantur. Hinc referuntur & ulcera articulorum, à quibus meliceria, sive sanies & ichor albicans, serosusque emanat, quem nostrates das Glidewasser appellant.

XXXII. Ratione ægrotantium, qui illis præ cateris fuerunt conflictati, Telephia, à Rege Mysie Telepho. Ratione verò artificum, Chironia, qua ita comparata, ut peritum Cheirurghum postu-

postulent, qualis Chiron Centaurus, Achillis Praceptor, fuisse perhibetur. Verum hasce differentias Galenus comm. 6. aphor. 45. περιεργολέγεις, curiosas, & l. de tumor. p. n. c. 13. περιτλῆς, supervacuas appellat: arbitraturque, satius esse, si κακοῦθη nominentur.

XXXIII. Ratione curationis δυσίατα, sive δυσθεράπευτα, agrè curabilia, δυσεπέλωτα, quæ difficulter ad cicatricem perducentur, & ἀνήκεστα, incurabilia.

XXXIV. Ratione effectorum νομῶδη, depascentia, & Φαγεδαμικά, exedentia. Vocantur aliàs ἐσθητικά, serpentia, & ambulatoria, quia evagantur, & vicinas partes aggrediuntur, easque corroduunt.

XXXV. Ratione modi generationis παρωγενῆ, primogenita, quæ citra prægessum morbum à re erodente, externa, aut interna profecta: & ὑστερογενῆ, quæ morbum aliquem consecuta, v. g. tumorem, abscessum, tuberculum, pustulam, & quæ facta χριστικῶς, Natura morbificam causam ad exteriora pellente, quorū exempla apud Hippocratem in libris Epidem. reperiuntur plurima.

XXXVI. Habent autem νομῶδι, ut hoc clarioris doctrine gratia addamus, nomen suum à verbo νέμω, quod pascere significat: propterea quod pascendo pergere soleant à parte agra ad eas, quæ sanae sunt: teste Galeno l. 5. meth. med. c. 4. Suntque ulcera putrida, serpentia ad partes vicinas, quas unà cum primum vitiata corrumpunt: δυσθεράπευτα ob putredinem: hocque nomine validissimè egentia medicamentis, etiam cauterijs: quemadmodum Galenus l. 9. simpl. c. de terra Samia, l. 6. de compos. med. καλ. γέν. c. 1. & l. 5. ejusdem oper. c. 14. docet.

XXXVII. φαγεδαμικά aliàs canina est ciborum appetentia, quæ aegri multum quidem copiosumque cibum assumunt, sed illum retinere nequeunt. Ideoque per vomitum illum rursus eiciunt: ut habet Author definit. medicinalium, & Galenus Comm. 3. in l. 6. epid. §. 37. Hic autem, ut ex varijs Galeni locis colligimus, nimirum ex l. de tumor. p. n. c. 13. Comm. 3. in l. 6. epid. §. 37. l. 3. de Sympt. caus. c. 1. Comm. 5. aphor. 22. Comm. 6. aphor. 45. l. de caus. morb. c. 5. & l. 2. de crisib. c. 12. ulcus significat, cui tu-

mor circumpositus, diuturnum, δυσπλάσιον, malignum, subjētam carnem depascens, vicina quoque loca invadens, ex influxu vitiosorum humorum natum, cui mala partis affecta dispositio, aut subditi ossis corruptela adjuncta.

XXXVIII. Ex hisce ulcerum differentijs quaedam Cheirurgo utiles sunt ad curationem rectē instituendam, quaedam non.

XXXIX. Utiles sunt, quae suppeditata à figura, quantitate, forma externa, parte affecta, ejusque situ, à more, ab affectibus, qui cum ulcere connexi sunt, & ab effectis. Inutiles, quae subministrata à tempore, similitudine, prima laborante, primoque medendi artifice.

XL. Etenim, antiquum ulcus non aliam curam postulat, quàm recens, quā ulcus est, & quā eandem proportionem habet. Quodsi, ut in inveteratis fieri solet ulceribus, sordes, putredo, vermes, gangrana, prava partis ulcerata diabeosis adsit, tum non diuturnitas, sed affectus cum ulcere sociati curantur.

XLI. Eodem modo nil cura confert ulceris, si sciamus, Telephum laborasse ulcere maligno, aut Chironem ulcera κακοήθῃ & δυσίατῃ scitē & peritē curasse.

XLII. Nihil denique prodest Cheirurgo, si maximè noverit, ulcus cancro, fistula, alijve rei externae simile esse.

XLIII. Conducit autem illi summopere notitia primūm figuræ: quia orbicularia ulcera scit haud facile coalescere, quoniam angulis carent, quib. committi possint, & quia partes ulceris longè à se invicem distant. Deinde quantitatis, quoniam magna ulcera validiora requirunt remedia quàm parva. Tertio partis affectæ. Internis quippe partibus non omnia illa adhibere licet, quae externis sunt proficua. Est praterea diversarum partium diversum temperamentum, structura diversa, & diversa accidentia alia, quae variare curam solent. Quo nomine Galenus sapissimè in methodo medendi graviter in Empiricos & Methodicos invehitur, quod nulla habita ratione diversitatu partium uno Calopodio omnes calcearint. Quare affe-
ctuum ulceri adjunctorum, Quidam enim illorum vehe-
menter

menter urgent, ut neessario illis sit occurrendum, legitima cura aliquandiu suspensa. Nonnulli causa sunt ulceris, quae quamdiu perseverant, ulcus curari nequit. Aliqui ulcus fovent & sustentant, adeo ut nisi fomes submoveatur, sanatio sperari non possit. Quidam denique ita comparati sunt, ut illius habeant rationem, & ἄνευ, sine quo non: quemadmodum Galenus l. 3. meth. med. c. 9. pulcherrimè docet, & quo ordine procedendum sit in curatione, cum plures affectus cum ulcere complicati sunt, ostendit.

XLIV. CAUSAE ulcerum sunt duplices: externa, & interna.

XLV. Externæ sunt ea omnia, quae vim urendi corroden-
dique obtinent. Hujus generis sunt ignis, & ignita omnia, sive sint metalla, sive ligna, sive lapides, sive res alie. Adhæc medicamenta πυρῶνινα nominata: ut sunt, quæ vesicas & ruborem excitare, excrescentias carnis absumere, crustas inducere, & urendo partium auferre substantiam valent, Φωρίστρον, καθαρῶνινα, ἑσχαρῶνινα & καυσῶνινα appellata. Exempla sunt Ranunculus, Flammula, Capsicum, sive Piper Indicum, Pyrethrum, Thapsia, Allium, Raphanus rusticanus, sive marinus, Euphorbium, semina Eruca & Sinapi, Tithymalorum & Esularum genera, Arsenicum, Auripigmentum, Mercurius sublimatus & precipitatus, Calx viva, Misy, Chalcitis, Vitriolum, Alumen, & AEs ustum, Cinis ficulneus, Cinis fraxini, Cinis facum vini ustarum, Liquor tartari, quod oleum vulgò Tartari vocatur, liquata Metalla, fervens Aqua, Vinum, Cerevisia, Acetum, Oleum, quivis alius liquor fer vesicatus, Cantharides &c.

XLVI. Ad externas quoque causas refertur frigus hyemale, quod χιμῆλα, vel, ut alij scribunt, χείμηλα, perniones, excitare solet, ἀπὸ τῆς χιμῆλῆς, quoniam hyeme maximè proveniunt. Sunt verò perniones aliquando exulcerati: interdum verò tantum cum tumore, rubore & pruritu in manuum præcipuè pedumq; digitis & calcaneis conspicui. Manus enim & pedes externo frigori patent, suntq; & ratione structura, & situs causa frigidi, quoniam longius à fonte caloris absunt. Ideoq; à frigore magis afficiuntur, quam partes alie. Quia verò ob tendinosam, nervosam &

membranosam substantiam exquisitè sentiunt, propterea à frigore affecti vehementer dolent. Dolor postea facit, ut sanguis affluat. Frigus verò cutem densando, & poros ejus constringendo prohibet, quò minus perspiratio & difflatio fieri libera possit. Attractus igitur, retentusq; & minimè ventilatus humor vitiatur, primòq; χεῖμαλον parit, quod tamen progressu temporis exulceratur, cum scilicet, corruptus sanguis acrimoniam acquisivit. Dicere quoque licet, externum frigus dictarum partium calorem, qui per se debilis est, debilitare magis. Debilitatem caloris sequi vitium privata concoctionis. Ex hoc succrescere humores corruptos, qui ob cutem à frigore densatam detenti, neq; ventilati, vim acrem & erodentem nanciscuntur.

XLVII. Internæ causæ sunt vel humores, vel vapores.

XLVIII. Humores sunt varij, sed omnes acrimonia, mordacitate, & erodendi facultate præditi. Hujus generis sunt bilis porracea & aruginosa, bilis atra, pituita salsa, serum & urina præcalida & salsedine abundans. Pus item acre & mordax. Lac in mammillis mulierum vitiatum. Tale enim sapissimè glandulosa mammarum corpora exulcerare consuevit. Semen virulentia gallica infectum, quod in lue Venerea ἐπὶ θραύιτα excoriat, ut, cum mictionis tempus adest, urina non sine atrocissimo dolore reddatur.

XLIX. Quemadmodum verò humores isti consistentia alijsque qualitatibus inter se differunt, sic quoque diversa ulcera procreare solent.

L. Tenuis enim efficiunt ulcera purulenta. Crassi sordida. Valde calidi, acres & mordaces νομώδη, depascentia, & ambulancia. Calidi, tenuis & biliosi, cutim solùm corrodunt, ut fieri videmus in herpete. Calidi, crassi, retorridi, & superassati, non cutem solùm, sed etiam carnem corrodunt subjectam, ut in Φαγεδαίμα observare licet. Atrabilarij cancrofa gignunt ulcera. Salsæ pruriginosa, & sic deinceps.

LI. Hi humores & proxima, & remota ulcerū causæ esse possunt. Proxima, qui parti ulceratæ inhaerent. Remota & mediantia, qui consistunt alibi.

KII. Ge-

LII. Generantur verò vel in ipsa parte ulcerata, à prava aliqua illius diabète, qui generationis modus ἀπορισμὸς καὶ σύγκρισις, congestio à Medicis appellatur: vel extra illam; sed cum parti mandanti copia graves, aut qualitate molesti esse cæperint, expelluntur, & ad aliam, quæ vel calet, vel dolet, vel natura, aut casu aliquo debilis est, ablegantur: quæ generandi ratio πρῶτα σφοδρὰ, fluxio nuncupatur.

LIII. Proveniunt autem vel à prava victus ratione, v. g. à cibis corruptis, putridis, semiputridis, aut facile putrescentibus, quales sunt fructus horæi & autumnales: calidis item, acribus & mordacibus, ut sunt Cæpe, Porrum, Allium, Sinapi, Eruca, Nasturtium, Raphanus esculentus & marinus: adhuc & à ferculis sale & aromatibus immodicè conditis: vinis denique generosis & potentibus, naturalibus pariter & factitiis. Vel à viscerum intemperie, obstructione, impuritate, tumore, hepatis maximè & lienis. Qualem enim κακοχολίαν procreant, talem postea in alias partes eructant.

LIV. Ceterum, sicut humores ulcera producentes acres quidem sunt & corrodentes, sed vel ἐνθεῖς, vel κακόνθεῖς, hoc est, boni malive moris: ita & Vapores atque Halitus mordaces, ἢ κακοί, aut boni, aut mali moris, qui maligni dicuntur, ulcera inducere queunt.

LV. Quod autè ejusmodi vapores vi exulcerandi polleant, primum pruritus ostendit, qui ab ejusmodi vaporibus originè traxit. Hunc enim sæpè exulceratio sequi consuevit. Deinde quidam morbi contagiosi, qui non tantum intervenientibus humoribus, sed etiam intercedentibus halitibus & vaporibus introducuntur: cujusmodi sunt phthisis, scabies, quedam dysenteria, Lues Venerea, Lepra, sive Elephantiasis. Ex corporibus namq; infectis emanat ejusmodi halitus, quos ἀποπόιας καὶ ποσπεῖς ἀπορπίστας Hippocrates nominat, qui morbos specie similes in alijs subjectis excitant, & illos quidem cum ulceribus conjunctos.

LVI. Priusquam hinc abeamus, & ad signa diagnostica atque prognostica transeamus, placet quorundam ulcerum causas

proponere in specie. Omnium quidem in genere causa est una: nempe res erodens: eaque vel externa, vel interna; & si interna, vel humor, vel vapor: in specie verò varia & multiplex.

LVII. Etenim ulceris dolorifici causa interna (de externis enim, utpote de frigore, rebusque acribus, qua ulceribus admoventur, jam non sumus solliciti) sunt intemperies, & omnium maximè calida, inflammatio, erysipelas, & humoris corrodentis, carnemque subjectam & circumjecta labra exedentis acrimonia, & mordacitas.

LVIII. Ulceris verminosi causa est materia putrida, precipuè phlegmatica, qua succrevit in eo, vel quia ulcus est neglectum, h. e. minimè detersum & mundificatum: vel quia aperitum & liberum exitum non habuit, ut contingere solet in ulceribus aurium, narium, ani, uteri, sinuosis denique cuniculosisque ferè omnibus: vel quia putredo affectam partem occupavit, idque propterea, quoniam humores supervacui ad eam in copia affluerunt.

LIX. Ulceris cum *ὄρεσσι* excrecentia carnis, causa est luxurians humiditas, qua à Chirurgo non satis exiccata, aut evacuata est. Vnde in cura postmodum validè siccantibus & catharticis opus.

LX. Ulcus *κακόνδεσ* illud à Galeno l. 4. meth. med. cap. 5. vocatur, quod omnibus ritè decenterq; factis tamen non sanatur. Propterea à Medicis Latinis malignum, contumax & rebelle appellatur. Est insuper, ait idem, dururnum, si tantum ut ulcus est, tractetur. Causa est multiplex. I. influxus humorum acrium, aut copia solùm peccantium. Hac ratione fiunt ulcera *δυσενέδωτα*, que agrè ad cicatricem perducuntur. II. ulcerata partis intemperies: qua causa ulcera in specie *κακόνδεσ* appellata gignit: aut hore Galeno l. 1. de compos. med. *καλὰ γένη*. c. 18. & l. 4. ejusdem operis cap. 1. & 13. III. Concurfus utriusq; causa, influxus vitiosi sanguinis & *δυσκρασία* partis ulcerata: teste eodem l. 4. de compos. med. *καλὰ γένη*. c. 5. dicunturque ulcera supra modum maligna. IV. Influxus humoris valde vitiosi, & *δυσκρασία* affecta partis habi-

habitualis: quae causa νομάς, ulcera vicinas partes depascentia pariunt: sic docente Galeno l. 6. de compos. med. c. 11.

LXI. Ulcera Φαγεδαίμια refert Galenus ad affectus atrabiliarios, l. 2. de cris. c. 12. Ad soboles fluxionum, l. de caus. morb. c. 5. Ad ulcera κακοήθη, l. 3. de tum. p. n. c. 13. Ad ea, quae dependent vel ab influxu noxiorum humorum, vel à prava dispositione in membro longo tempore cōtracta, vel à subditi ossis corruptione: quo nomine diuturna, & δυσπέλωτα dicuntur, Comm. 6. aphor. 45. Ad corrodentia & vicinam carnem depascentia, lib. 6. de compos. med. κ. γένη c. 1. Comm. 5. aphor. 22. & Comm. 3. in l. 6. epid. §. 37. Ad ea, quae ex ulcere & circumjecto tumore sunt composita: l. de tum. p. n. c. 13. Denique ad illa quoque, quae à κακοχυμία profiscuntur, cujus causa fuit pravorum ciborum esus. Hujus rei praeclearum apud Galenum exemplum extat l. de bon. & vit. succ. c. 1. Nihil enim absurdi est, si maxime dicatur, unum aliquod ulcus & κακοήθες, & δυσπέλωτον, & δυσίατον, & κακόχυμον, & κατάρροικόν, & όγκώδες, & χρονίζον, & σηπεδονώδες, & αναβιβρώσκον, ή διαβιβρώσκον esse. Nam de canerosiis ulceribus haec omnia praedicari posse, extra controversiam est.

LXII. Notandum enim, Galenum de ulceribus phagedaenicis nunc in lata significatione, & ex veterum sententia loqui, nunc in stricta, & ex mente propria. Inquit enim Comm. 6. aphor. 45. antiquos ea omnia ulcera Φαγεδαίμια nuncupasse, quae longo tempore perseverant, quae ad cicatricem non perducuntur, aut si perducta sint, clausa tamen & cicatrice obducta minime manent, quae majora semper deterioraque fiunt: & vel propter επιρροήν, influxum vitiosorum humorum, vel propter malam διάθεσιν in membro longo tempore ex humoribus influentibus contractam, vel ob os ulceri vicinum corruptum difficulter sanantur. Quosdam vero posteriores ea distinxisse, propriamque singulis indidisse appellationem, & quadam χειρώνια, quadam τηλεφεια, quadam Φαγεδαίμια nominasse, aliasque περιεγυρίσας προσηγορίας, adhuc magis curiosas attulisse, nomenclaturas. Se autem illa ulcera, quae summam duntaxat eutem occupant, έρηθιας, repentia: ea vero, quae subje-

subiectam carnem corrumpunt, Φαγεδαίνας, ἀπὸ τῆς Φάγεω, exedentia, nuncupare.

LXIII. Proprie igitur & specialiter de Φαγεδαίνα loquendo, ulcus est tumidum, profundum, malignum, vicinas partes erodens. Illi namque tumor conjunctus est, qui ulceris labra circumstat, eoque potissimum à Noma differt, quæ tumoris est expers. Quatenus autem est ulcus profundum, & suppositam carnem quoque depopulatur, eatenus ab herpete distinguitur, qui solius cutis est exulceratio. Oritur ab humore bilioso. & ad melancholicum vergente, non valde tamen crasso, qualis est cancroforum: nec tam tenui, quam erysipelatum atque herpetum. Humor iste copia sua ulceris oras implet, & in tumorem attollit: malignitate verò & acrimonia vicinas partes erodit.

LXIV. Noma, νομή, ulcus est putredinosum, quod vicinas partes serpendo depascitur. Serpit enim etiam ad sanas: estque ex albo ulcerum ægrè sanabilem: & putredinem acquirit, vel diuturnitate temporis, vel statim à principio: quale illud est, quod à venenatis factum animalibus. Ideoq; validissimis opus habet medicamentis: quemadmodum θ. 36. dictum.

LXV. Quæ causæ sint ulcerum diuturnorum, ægrè curabilium, imò planè ἀθεράπευτων, quæ item tumidorum, cum ossis corruptione conjunctorum, cavorum & profundorum, ex θ. præcipuè 60. constare potest, ut opus non sit, causas illas denuò hic repetere.

LXVI. Sequuntur SIGNA DIAGNOSTICA, quarum narratio videri posset supervacanea. Externa siquidem ulcera, siue sint rotunda, siue recta, siue obliqua, siue longa, siue brevia, siue lata, siue angusta, siue superficiaria, siue profunda, siue equalia, siue inequalia, siue antica, postica, summa, aut ima, siue recentia, siue vetusta, siue dolorifica, siue pruriginosa, siue sordida, siue verminosa, siue saniosa, siue putida, siue putrida, siue dura & callosa, siue cum ὑπερσπυρίδες copulata, etiam plebeis & idiotis nota sunt, quoniam vel visu, vel olfactu, vel tactu apprehenduntur.

LXVII. Nos

LXVII. Nos hac quidem ulcera etiam artis Medica imperitis cognita esse concedimus: sed inficiamur, reliquas eorum differentias, tum externorum, tum internorum ulcerum, his esse perspektas. Ignorant enim, qua ulcera sint κακοήθη, qua δίσκορα, qua κακόχυμα, qua fluxione tentata, qua δυσπεπλάστα, & cur talia? Ideoq; de istorum ulcerum διαγνώσει aliquid nobis in medium proferendum.

LXVIII. Ulceris ergo fluxione vexati diagnostica signa sunt. I. Ulceris diurnitas. Omnibus enim ritè peractis, tamen non curantur: quoniam foventem causam habent. II. Tumor labiorum, & partium circumjacentium. Humore enim influente implentur. III. Excrementorum ex ulcere manantium copia, & major quidem, quam pro ulceris magnitudine. IV. Ulceris ampliatio, sive dilatatio. Majus autem fit, propter humorem affluentem, qui vicinas quoque partes erodit. V. Dolor, qui ut plurimum ob accurrentis humoris acrimoniam, praesertim in partibus nervosis, membranosis, & tendinosi percipitur. VI. Phlegmone, qua dolorem sequitur.

LXIX. Qualis autem κακόχυμα, h. e. qua humoris vitiosae species affluat, ex ulceris colore, excretis, & doloris natura, itemque ex acri temperamento, & precedenti victus ratione cognoscitur.

LXX. Ulceris calidi signa sunt. I. Rubedo ulceratae partis intensior, quam pro naturali habitu. II. Dolor. III. Perceptio caloris ad tactum, tum tangentis, tum ipsiusmet laborantis. IV. In vamen à frigidis: vexamen à calidis: quia hac intemperiem augent: illa obtundunt.

LXXI. Ulceris frigidi signa dictis sunt contraria. Nam pars laesa albicat, vel pallet: laborans sentit frigus: id quoque tactu animadvertit Chirurgus, & quisvis alius: grata sunt calida: molesta frigida.

LXXII. Ulceris sicci signa sunt. I. Partis squalor & siccitas, & quasi quadam rugositas. II. Excrementorum paucitas. III. Praegressus exiccantium usus. IV. Asperitas quaedam

dam & durities ulcerati membri. Hi enim siccitatis sunt effectus.

LXXIII. Ulceris humidi signa sunt, I. Partis lasa laxitas & mollities. II. Excrementorum inde exeuntium copia. III. Excrescentia carnis, sed mollis, fungosa & spongiosa. IV. Antecedens humectantium rerum usus: v. g. medicamentorum, aquae calidae, balneorum, aëris humidioris, qualis esse solet in locis subterraneis.

LXXIV. Ulceris fistulosi signa sunt, I. Sinus, sive cavitas, instar fistulae, à qua etiam nomen suum accepit. Affluxus enim erodentium humorum cavitatem consolidari minimè sinit. II. Sinus admodum profundus. III. Eiusdem angustia. IV. Labiorum ulceris durities callosa.

LXXV. Ulceris putridi sunt, I. Cadaverosus fætor. II. Fæditas excretorum. III. Livor partis. IV. Eiusdem humiditas, laxitas & mollities.

LXXVI. Ulceris cancrofi sunt, I. Labiorum durities & inversio. II. Vicinarum partium depassio. III. Fætor intolerabilis. IV. Venarum in ambitu, chelas cancrorum representantium, tumor. Sunt enim crasso nigroque sanguine referta. V. Sanguinis non rarò profusio, cum scilicet vena ejus exeduntur. VI. Saniei colore varia, livida tamen ferè & nigricantis exitus, ejusque copiosa & putida admodum. VII. Dolor atrox, ob distensionem & humorum inibi contentorum acrimoniam. VIII. Perseveratio & diuturnitas: quia nullis penè remedijs cedit.

LXXVII. Ulceris, cui os corruptum subjacet, signa sunt, I. Carnis ulceri superposita mollities & flacciditas. II. Eiusdem livor, juxta aphor. 2. sect. 7. III. Saniei tenuis, & ut plurimum graveolentis, ac copiosa effluxus. IV. Mali diuturnitas. Ad cicatricem enim perducì nequit, quamdiu os corruptum manet. Eo verò vel à Cheirurgo abrafo, vel spontaneo Naturae motu à sana ossis parte separato, ulcus demum sanescit.

LXXVIII. Quomodo ulcera νομῶδη ἔχοντα θεραπεύονται δια-
gnoscantur, ex θ. 35. 36. 60. 61. 62. & 63. peti potest.

LXXIX. Ulcera Telephia & Cheironia cancris fe-
rè sunt similia, rebellia, contumacia, magna, nullis obedientia
pharmacis, oras habentia duras & tumidas.

LXXX. Hæc de SIGNIS DIAGNOSTICIS. Nunc
de PROGNOSTICIS.

LXXXI. Ulcera περιμῶδη, inquit Hipp. aphor. 4. sect. 6.
circumglabra, h. e. undiquaq; pilis denudata, κακῶσθεα, maligna,
& consequenter rebellia. Causam dat Galenus in Comm. quia
influxu acrim humorum sunt tentata, qui pilorum radices e-
rodunt, nec locum ulceratum cicatrice obducì sinunt.

LXXXII. Aqua inter cutem laborantibus exorta in cor-
pore ulcera non facillè sanantur, ait idem Hipp. aphor. 8. sect. 6.
Non enim, addit Galenus, ulcera priùs ad cicatricem perdu-
cuntur, quàm sufficienter sint siccata. Siccari autem in tali-
bus subjectis nequeunt, ob copiam ferosi humoris.

LXXXIII. Si ulcera annua, aut etiam diuturniora fiant,
ὡς ἀψίσαται, abscedere est necesse, & cicatrices cavas fieri:
aphor. 45. sect. 6. Diuturna fiunt ulcera, monet Galenus in
Comm. vel quia os ulceri subditum est corruptum: vel quia asti-
duus adest vitiosorum humorum influxus: vel quia ex ijs pra-
va quedam dispositio in parte ulcerata est contracta: vel quia
malè à Cheirurgo tractata. In illis ergò ob perpetuam humorum
alluvionem, & ab acrimonia illorum detritionem particula ossis
corrupti abscedit, & tandem à Natura à parte sana segrega-
tur: quo factò, cicatrices cavæ fiunt, quoniam pristino funda-
mento defraudantur.

LXXXIV. Quæ ulcera medicamentis non curantur, fer-
rum curat: quæ ferro non curantur, ignis curat: quæ igne non
sanantur, ea immedicabilia existimare oportet: Hipp. aphor. 6.
sect. 8. Sermo Hippocrati est de ulceribus putridis, mali habi-
tus, & depascentibus. Ea si methodicè adhibitis internis atq;
externis præsidys non curentur, ferro & sectione tolluntur.

Quodsi hoc non eveniat, perseverante adhuc putredine, ea ignis & ignita remedia delent: quoniam potenter siccant, partesq; putredine inquinatas auferunt. Si ne his quidem abigantur, prognosticis relinquenda sunt, ut evitetur inscitia & imperitia calumnia.

LXXXV. Frigidum ulceribus δαυκάδες, mordax: Hipp. aphor. 20. sect. 5. nimirum non erodendo, sed potius divellendo. Vis namque frigoris ulceratam cutem facile pervadit, quia rara est. Integram non ita pervadere potest, quia substantiam ejus densat atque constringit.

LXXXVI. A forti in ulceribus pulsu hemorrhagia malum: Hipp. aphor. 22. sect. 7. Loquitur, inquit Galenus in Comm. de ulceribus, quibus phlegmone accessit. Est verò αιμορραγία in talibus mala: primum quia ulceri magnam inflammationem conjunctam ostendit. Deinde quoniam hac sanguinis eruptio non fit, nisi aperto arteria orificio, è quo si sanguis emanet, difficulter sistitur. Galenus in Comm. causam dat, cur pulsus arteriarum molestus sit & dolorificus in ulceribus inflammatis, in sanis corporibus non item? Præterea, quamobrem aliquando talis αιμορραγία in phlegmonosis ulceribus contingat? Ad prius quaesitum respondet, causam esse, quoniam partes inflammatae sunt repletae, & per se ob distensionem dolent. Ideoq; cum arteria dilatatur & contrahuntur, partes illas quasi percutiunt, unde dolor. In sanis autem partes non dolent, non sunt distenta: arteria etiam in spatio laxiore moventur: proinde minimè dolent. Ad posterius dicit, arteriarum pulsum in dispositionibus partium inflammatorijs augeri. Inesse enim illis facultatem ἐκκελιξῆν, qua aliena excernunt. Operari igitur quandoque vehementius, & pulsum edere magnum ac violentum, conantem expellere ea, quae molestà sunt, & sic profluvium sanguinis moliri.

LXXXVII. Ulcus in morbis lividum & siccum, aut χλωρόν, cum virore pallidum, lethale, Hipp. in Coacis. Vel, ut habet in prognosticis, ulcus, sive prius factum sit, sive accesserit in

rit in morbo, siquidem homo periturus sit, ante mortem lividum, (πελιδιον:) & siccum, aut ὠχρον, pallidum & siccum erit. Nam siccitas index est deficientis Naturæ, nec jam familiare solitumque alimentum transmutere valentis. Lividus vero, pallidusve color non modo noxia materia, sed etiam caloris νεκρώσεως, mortificationis est signum.

LXXXVIII. Ulcera verno tempore videntur frequentiora esse, quam alijs anni temporibus: aphor. 20. sect. 3. Nam profundum corporis expurgatur: quoniam Natura tunc temporis est valida: humores à tepiditate aëris liquati: corpus ab eadem apertum. Unde & alia cutis vitia vere potissimum hominem affligunt: nimirum lepræ, impetigines, vitiligines, tubercula &c. auctore Hippocrate loco eodem. Ut enim exercitia in corporibus κακοχρῆσις propter dissolutionem vitiosorum humorum, eorundem in habitum corporis excussionem, & pororum corporis apertionem, ulcera creant, juxta illud Hippocratis l. 6. epid. sect. 5. si non purgatus, & κακοχρῆσις tamen, quod præsupponitur, onustus, laboraverit, h. e. crebrius & vehementius sese exercuerit, ulcera exoriuntur.

LXXXIX. Ulcera plana & superficialia ἐπιπέδων ἔσονται. Sola enim siccatione curantur. Plus Chcirurgo negotij faceffunt cava & profunda: quoniam & mundificatione, & carnis generatione, & cicatrizatione opus habent.

XC. Ulcera plethoricorum & cacochymicorum corporum ὀστιάται. Fovens quippe causa ipsis semper assistit.

XCI. Ejusdem farinae sunt ulcera locis humidis & excrementis obnoxys inhaerentia, quia curam retardant, quæ in siccatione consistit.

XCII. Quamdiu os ulceri subiectum corruptum est, tamdiu ulceris sanatio sperari nequit. Os enim simili labe ulceratam partem inficit: cujus tamen naturale temperamentum primaria curationis causa est.

XCIII. In quibus ulceribus pus bonum & laudabile succrescit, in his spes effulget facilis cura. In quibus vero pus malum

lum generatur, illa quoque ægrius ad sanitatem veniunt. Bonum autem & laudabile pus secundum Hippocratem in prognost. est, quod album, equale, læve, (λευκον) modicè crassum, & quàm minimè graveolens. Pessimum, quod huic contrarium. Illud enim caloris nativi vigorem, & victoriam, & materie obsequentiam: hoc verò contrarium portendit. Eademq; ratio est, si ex ulcere sanies tenuis, pallida, livida, aut nigricans, malique odoris effluat.

XCIV. Ulcera articularum & partium excarnium, quales sunt membranosa, tendinosa, & nervosa, curatu difficiliora, cæterisq; diuturniora esse consueverunt. I. ob caloris paupertatem. II. ob sanguinis paucitatem. III. ob sensus excellentiam, cujus causa dolor excipitur, qui affluxum humorum, curam impediendum, accersit.

XCv. Ulcera fistulosa vel δυσίατα sunt, vel prorsus ἀνήκεστα: I. ob callosam duritiem labiorum, qua consolidationem respuit. II. ob ἀδυναμίαν ἢ θρασύτητα, quia medicamenta ad fundum pertingere nequeunt. Sunt enim alta, flexuosa, & angusta. III. ob dyscrasiam loci affecti. IV. ob presentiam vitiosa materia aliunde affluentis. Atq; hac quoque causa est, quòd omnia ulcera, qua vel humorum affluxum, vel δυσκρασίαν partis ulcerata, vel tumorem aliquem, vel putredinem adjunctam habent, chronica sint, & non nisi magno labore medelam admittant. Idem dici potest de ulceribus, qua varicibus vicina. Hi enim fomitem semper ulcus foventem suppeditare solent.

XCvi. Superest ulcerum CVRATIO. Eam verò plenius & accuratius persequi, nostri instituti jam non est. Sufficiat indigitasse indicationes & præsidia. Materia præsidiorum & formula videantur apud veteres, quorum mentionem faciemus, & neotericos Cheirurgie Scriptores. Grata enim brevitatis nobis hic est commendata. Nos quoq; materiam medicinale, quam nunc præmanibus habemus, suo loco & tempore Artis Studiosis communicabimus.

XCvii. Ulcus planum, quod superficiarium aliàs appellatur,

latur, quoniam simplex est, & nullo alio cum affectu copulatum, solam exiccationem postulat, h. e. cicatricis generationem. Amissa enim in illo est cuticula & cutis, qua cum reparari non possit amplius, ἀνάλογον substituendum. Hoc ἀνάλογον cicatrix est, qua caro est eò usq; siccata & indurata, ut cutis formam representet: authore Galeno l. 3. meth. med. c. 5. Perficitur autem cicatrizatio ἐπυλωσικῶς, qua siccantis sunt natura. De hoc ulcere in specie Galenus l. 3. meth. med. c. 4. agit.

XCVIII. Ulcus cavum plura requirit remedia, nimirum ρυψικὰ, detergentia & mundificantia, σαρκωσικὰ, carnem generantia, ut expleatur cavitas, & ἐπυλωσικὰ, qua barbari sigillativa vocant, ut ulcus claudatur & cicatrice obducatur. De speciali cura consulantur Galenus lib. 3. meth. med. cap. 2. & 3. Paulus l. 4. c. 40. Oribasius l. 7. Synops. c. 2. & 4. Aëtius tetr. 4. serm. 2. c. 33. & Avicenna l. 4. fen. 4. tract. 3. c. 7.

XCIX. Ulcus, in quo superflua caro genita, vel quia ob victum liberaliorem sanguis accurrit copiosior, vel quia Chirurgus id minus siccavit atq; absterfit, quam res postulaverit, indicationem nobis præbet, illam auferendi. Hoc autem fit ijs præsidijs, que validius siccant & mundificant: vel si hac nil opis attulerint, cathartics, que vim habent excedendi, quibus tamen, ne phlegmone subsequatur, defensiva, que frigidi sunt temperamenti, circumponenda. Specialem methodum tradunt Galenus l. 3. meth. med. c. 6. Paulus l. 4. c. 43. Aëtius tetr. 4. serm. 2. c. 36. & Avicenna l. 4. fen. 4. tract. 3. c. 1.

C. Ulcus verminosum, quale astate præcipuè fieri solet, maximè si cavum & sinuosum extiterit, & quidem ob excrementa ulceris putrida, qua vel prorsus non, vel oscitanter solum absterfa, requirit, ut vermes manubriolo eximantur. Aut si eximi ob loci conditionem & situm, tenacioremve illorum adhesum nequeant, primum necandi sunt: deinde auferendi: tum ulcus detergendum: quartò putredo amovenda: quintò sarcoticis cavitas explenda: ultimò epuloticis claudendum. De hoc videantur in specie Aëtius tetr. 4. serm. 2. c. 48. Paulus l. 4. c. 42. & Avicenna l. 4. fen. 4. tract. 3. c. 1.

CI. Ul-

C I. Ulcus, cui os corruptum subjacet, idque propterea, quia calor ejus ab ambientis frigiditate est extinctus, aut, quod in ulcere diuturno accidit frequentius, quoniam à prava sane, erodente humore aliunde influente, vel humiditate viscosa & remoliente, sicuti Galenus l. de caus. morb. c. 7. & Comm. 3. in l. de fract. §. 37. docet, est vitiatum, exigit, ut os agrotans tollatur. Id quod facilius praestatur, si sit detectum: agrius, si carne opertum. Quod si opertum sit, monet Celsus l. 8. c. 7. denudandum esse. Detegitur autem, si medicaminibus idoneis ampliatur. Detectum eximitur medicamentis, aut Cheirurgica operatione. Medicamentis, si os solum in superficie sit corruptum. Cheirurgia, si corruptio inhareat altius. Medicamenta debent siccare potenter, auctore Galeno aphor. 46. Comm. 6. Siccitas enim os decidere facit, absumendo impactas humiditates. Et os siccatur atque à superfluis humoribus liberatum redditur firmitus. Ideoque expultrix illius facultas insurgit, quodque corruptum est & mortuum à sano separat. Cheirurgia perficitur Ferro & Igne. Ferrum sunt Scalpra, quae os superficialiter vitiatum deradunt, & Terebella, quorum usus est in corruptione profundiore. Post scalpra insperguntur pulvisculi siccantes. Post terebella, si locus & aeger permittant, admoventur ferramenta candentia, cum in sinem, ut delictus in osse extraneus humor absorbeatur. Particulariter de hoc ulcere Gal. l. 4. de compos. med. κατ. γίνη tractat.

C II. Ulcus cum *δορυπαρία* sociatum curari non potest, nisi ea aboleatur. Nam *σαρνώσεως* & *νοιδήσεως* materia est sanguis: *ὁ δὲ σπυγῶδης*, opifex vero, partis Natura, h. e. temperamentum, teste Galeno l. 3. de meth. med. cap. 3. Itaque cum secundum Hippocratis doctrinam aphor. 22. sect. 2. & l. de flatibus contraria contrariorum sint remedia, intemperies calida topicis frigidis, frigida calidis, humida siccis, sicca humidis abigenda est, sic monente Galeno l. 4. meth. med. c. 2.

C III. Ulcus cum vitiosi humoris affluxu itidem sanari nequit, nisi affluxus sistatur. Sistitur autem, si causa ejus extirpentur. Causae sunt vel externa, ut malum regimen in sex rebus

rebus non naturalibus, quod emendandum, & qua ansam atq; occasionem fluxui præbent, removenda: vel interna, ut *naxoxypica biliosa, melancholica, phlegmatica & serosa*, que purgantibus ex-haurienda: sique viscerum vitio facta sit, illis prospiciendum. Ipsa verò fluxio revellentibus, intercipientibus, & repercusientibus compefcenda.

Ex revellentium albo sunt *Vena sectio*, si ea opus sit: purgatio, de qua dictum: *ligatura dolorifica*, que contrarijs & ab ulcere longè distitis membris inycienda: *frictiones item & inunctioes calorifica*, nec non *balnea particularia & fonticuli*.

Ex intercipientium numero, que supra locum affectum ponenda, ne humor influens ulterius procedat, sunt *defensiva*, que vim refrigerandi & adstringendi obtinent: ideoq; & vasa, per qua sit humoris decursus, constringunt: & cutem densant: & sanguinem incrassant, ut ad fluxum sit ignavisor.

Ex repercusientium familia sunt *fasciæ*, eo modo obvolvenda, circumducendaque, ut humores ab affecto loco exprimantur, & medicamina, refrigerandi siccandique virtute prædita, que circum partem ulceratam applicanda. Repercuti autem potest facilius is humor, qui adhuc in venis exiguis partibus laborans consistit: minus, qui extra illas inter partes illius similes, utpote arterias, nervos, venas, membranas &c. est effusus: nullo modo, qui portis & meatibus ulcerata partis est impactus.

Fluxione sedata, ulceris cura suscipienda: I. *detergentibus*. II. *farcoticis*: III. *epuloticis*. De hoc ulcere legatur cap. 2. libri 4. meth. med. Galeni.

CIV. *Ulcus fistulosum*, quod *varium & multiplex*, nimirum breve, aut longum, rectum aut transversum, simplex, duplex, aut triplex, uno, aut pluribus orificijs constans, in carnem, aut in os desinens &c. ita comparatum est, ut vel non debeat curari, vel curam flagitet.

CV. *Non debent curari fistula*, inquit Galenus, *Comm. 3. 1. 6. epid. sect. 3. text. 39* per quas cum agri emolumento super vacui humores expurgantur. Nam quemadmodum fluentibus hamorrhoidibus

dibus ex decreto Hippocratis loco allegato curatio temerè adhibenda non est, ita neque omnibus fistulis. Sunt enim instar fonticulorum, qui evacuando, divertendo, & derivando hominem à plurimis affectibus reddunt immunes. Id quod verissimum esse experientia docet. Multi enim fistulas habuerunt annis plurimis, & saluberrimè tamen vixerunt. Per quas igitur noxij humores evacuantur, & hanc ob causam homines ab alijs vitijs preservant, cujusmodi sunt fistula antiqua, in loco declivi sita, & procul à nobili parte collocata, illa aperta servanda sunt, imò clausa denuò aperiende. Nisi enim iterum aperiuntur, salubriter degere homo nullo modo potest.

CVI. Ceterùm fistula, quæ curanda, dupliciter curantur. scilicet, seu palliativè, & verè.

Fictè, cum fistula siccatur intus, foris consolidatur, sinu adhuc intus persistente: hocq; peragitur remedijs siccantibus, fistula impositis, bona victus ratione, & corpore sæpius à sordibus purgato. Sic enim orificium manet aliquandiu clausum: sed nova materia in sinu collecta denuò recluditur.

Verè, cum primùm removentur impedimenta curationis: deinde cum ad fistulam ipsam acceditur.


CVII. Impedimenta sunt 4. Primùm influxus humorum. Secundum callosa durities: quæ potissimum in orificio fistule externo, h. e. in ipsa cute ex crassa materia, pituitosa, vel melancholica, poris ulcerata partis impacta, generatur. Causa est duplex: una, quoniam cutis, quæ densa, facilius crassescit & indurescit, quàm caro, quæ rara, mollis & laxa. Altera, quia Natura in more positum habet, ut & à dōrō protrudat plerumque ad cutim, velut emunctorium corporis universale. Quodsi tamen fistulæ duraverint diutius, nil obstat, quò minus callus etiam in carne, & per totum fistulæ ductum gignatur. Tertium fistulæ angustia. Quartum ejusdem profunditas. Hæc enim duò ultima impedimenta faciunt, quò minus medicamenta suam assequi finem possint. Nam propter angustiam difficulter immittuntur. Propter profunditatem ad ima fistulæ pertingere nequeunt.

CVIII. Quapropter influxus humorum cavendus, ea ratione, qua dictum in ulcere *κατὰ πρὸς αὐτὸν*. Callus auferendus vel per emollientia, vel per deterforia, vel per *καυσικά*, vel per ferrum & sectionem, vel per ignem, h. e. ferramenta candentia, si ager admittat, & membrum patiatur. Angustia dilatanda per *τῶν* *κλυσμάτων* usui isti accommodatas.

CIX. Impedimentis remotis, ulcus curandum, ut cava alia, detergentibus, *σαρκωτικῶν*, *επούλιων*.

CX. Qui sinuosorum & fistulosorum ulcerum curam specialiore desiderat, Paulum l. 4. c. 48. & 49. Aëtium tetr. 4. serm. 2. c. 53. & 55. & Avicennam l. 4. fen. 4. tract. 3. c. 5. & c. 11. legat.

De ulceribus verò putridis, fordidis, malignis, cancris, callosis, prætumidas oras habentibus, *ὀφθαλμικῶν*, *χρονικῶν*, *φagedαικῶν* & nomis Galenum libro 4. de compos. med. *καὶ γένεσιν*, consulat: illique adjungat Avicennam l. 4. fen. 4. tract. 3. cap. 1. 3. 4. 8. 9. & 10. Paulum l. 4. c. 41. 44. & 46. Oribasium l. 7. synopsis. c. 11. & Aëtium tetr. 4. serm. 2. c. 37. 40. & 49.



COROLLARIA.

- I. Omne ulcus proximam quidem causam habet, sed nullum *συνεχόμενον*, continentem.
- II. Vinum ulceribus, quatenus ulcera sunt, Galenus rectè utile & salutare statuit topicum lib. 3. meth. med. c. 4.
- III. Oleum commune iisdem idem optima ratione noxium pronunciat lib. 3. meth. med. c. 2.
- IV. Teredo, sive Caries in osse, propriè ulcus non est.
- V. Ulcera æquè contagiosa sunt ac scabies.
- VI. Carnis in ulcere cavo materia est sanguis. Opifex, natura partis ulcerata. Causa impedimenta removens, *Χειρουργός*. Gal. lib. 3. meth. med. c. 3.

VII. Ge-

- VII. Generatio cicatricis opus esse Cheirurgi videtur.
 VIII. Suppuratio species est *πρωραρυ*, fitq. a calore nativo, si pus sit laudabile, quod album, modicè crassum, aequale, quàm minimè fetens. Hipp. in prognost.
 IX. Quatuor sunt vulneris species. I. fit per sectionem, II. infligitur per punctiorem. III. oritur a contusione, IV. ruptionem agnoscit causam.
 X. Materia puris non solum sunt humores, sed & secundum Hipp. I. *πρωραρυ* *λεοφνω* carnes.



Ad Dn. Respondentem.

Affectus quantò est aliis deformior ulcus,
 Tantò est illius cognitio utilior.
 Per multis etenim succedunt ulcera morbis,
 Et fieri morbo non præeunte solent.
 Ulcera magnopetè sunt quos Chironia vexant:
 Acriter & sunt quos Fistula dira ferit.
 Hunc Herpes torquet: Phagedæna affligitur ille:
 Hunc cruciat Cancer: sustinet ille Nomam.
 Curaque difficilis valdè est: ideoque beatus
 Is meritò dici terque quaterque potest,
 Ulcera qui didicit, qui causas novit & ortus,
 Atque illis Medicæ ferre scit artis opem,
 Ergò, cum satagas jam plenius ulcera nôsse,
 Sat scio, curabis rectius illa quoque:
 Hocque simul, DANIEL, dicèris nomine felix,
 Præmiaque accipies digna labore tuo.

Melchior Sebiziis,
 dispu. Præses,

F I N I S.

CF 152

Ca 210

12

22

Faint, illegible text or markings, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Cf 133

(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



9

CHEIRURGICA
DE
RIBUS,

ratia in alma Argen-
Universitate

oposita

à

RE SEBIZIO,
DOCTORE AC PRO-
MITE PALATINO
cipubl. Archiatro:

ndente

ESPICHIO,
ORATENSI,



Die 18. Januarij.

ITORATI,

ARDI WELPERI,
C. XLVII.